

burg, et quod medonem *) biberit et pisces comederit. Et quod Wigmannus episcopus illas terras alienavit et cognatis suis in feodo porrexit et promisit CCC et amplius mansos in recompensationem ecclesie Nienburgensis, sed minime persolvit, sed tantum tres villas Bobow, Bodendorp et Criwiz dedit.

Bertramnus miles, ministerialis ecclesie Nienburgensis, LXX habens annos, iuratus dixit, se uidisse ecclesiam Nienburgensem liberam sub imperatore Friderico et Wigmanno archiepiscopo et abbate Eberhardo. Et quod Wigmannus archiepiscopus castrum Schonenburg et opidum Wesele cum attinentiis dederit imperatori Friderico et ab imperatore ecclesiam Nienburgensem in concambium acceperit. Et quod Otto, praepositus in Hagenroth, ter ad sedem apostolicam accesserit ex parte capituli Nienburgensis pro recuperanda pristina libertate sub papa Alexandro. Et quod tres provincias Nemiz, Sprewe et Trebus in quieta possessione **) et quod praepositus Otto, ipso Bertramno secum assumpto, proventus illarum receperit et promoverit in Nienburg, et quod XXIII currus mel, ceram, pisces, cutes et pelles ferinas viderit vehi in Nienburg. Et quod Wigmannus episcopus Nemiz, Sprewe, Trebus abstulit et Dedoni marchioni in feodo dedit et Sifrido abbati in restauro CCC mansos apud Juterbok promisit. Et quod item Bertramnus cum ministerialibus archiepiscopi Wenero et Gerone, qui eosdem mansos assignarent, missus sit, et cum sibi loca nemorosa et inculta assignarent, recipere noluit, quia media pars debebat esse culta. Et sic ipse Bertramnus, nuntius abbatis, ad episcopum rediit in Juterbok. Cui episcopus dixit: Dominus tuus abbas colat hos mansos, sicut ego per colonos meos ceteros excolui, qui nunc solvunt. Et sic nichil acquisivit. Tandem archiepiscopus Wigmannus dedit abbati Nienburgensi tres villas Bobowe, Bodendorp et Criwiz, decem talenta annuatim solventes. Et de L mansis in Strechow, quos Ludolfus episcopus dedit abbati Heidenrico dicit idem, quod Hermannus miles de Waldeser.

Wigpertus miles de Zuchowe, ministerialis ecclesie Nienburgensis, LX annorum, iuratus dixit de permutatione, libertate ecclesie Nienburgensis et electione advocati, quod quidam alii. Et de terris, quas Wigmannus abstulit, et de CCC mansis dicit, sicut Bertramnus, et de L mansis in Strekow.

Godescalcus, senior ecclesie Nienburgensis, LXX annorum, iuratus dixit de libertate et commutatione ecclesie, quod Bertramnus et Wigpertus, et cetera. Et si in aliquo gravaretur indebite, a Magdeburgensi archiepiscopo, liberum haberet recursum ad imperium. Et quod Nemiz, Sprewe et Trebus habuerit in quieta possessione. Et quod viderit mel, ceram et denarios camerarii, pisces magistri coquine, cutes ursinas, pelles cervinas et quaedam alia et quod currus ista vehentes (ista) viderit et quod duobus annis receperit mel ad cellarium abbatis. De alienatione terrarum Nemiz, Sprewe, Trebus dicit, sicut Bertramnus. De L mansis in Strekow dicit, quod Ludolfus episcopus dederit abbati

*) Meth.

**) sc. habuerit.